



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

IOANNI ANGELO S.R.E. CARDINALI BECCIU

Venerabili Fratri Nostro

IOANNI ANGELO S.R.E. Cardinali BECCIU

Congregationis de Causis Sanctorum Praefecto

Ipse Iesus, Dei Filius, qui persecutionem et crudelem mortem in cruce sine ulla culpa passus est, discipulis suis palam nuntiavit: "Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur" (*Io 15,20*). Quae verba per saecula confirmata sunt variis in regionibus et modis. Verumtamen "persecutiones re non pertinent ad praeteritum tempus, quoniam etiam hodie eas patimur, tum modo cruento, sicut tot martyres nostrae aetatis, cum modo subtiliore, per calumnias et falsitates" (*Gaudete et exsultate*, 94).

Ecclesia semper peculiari devotione coluit martyres, qui fidem et caritatem erga Dominum Iesum usque ad sui sanguinis effusionem sunt testati. Optimam autem occasionem ad huiusmodi martyrum venerationem aestimationemque confirmandam praebet nunc sollemnis ritus beatificationis Venerabilium Servorum Dei Petri Luciani Claverie, O.P., Episcopi Oranensis, et XVIII Sociorum, religiosorum et religiosarum, martyrum, qui in Conceptione Immaculata Beatae Mariae Virginis hoc anno peragetur in Sanctuario Dominae Nostrae de Sancta Cruce in urbe Oranensi.

Idcirco libenter concedimus petitioni Venerabilis Fratris Pauli Desfarges, S.I., Archiepiscopi Metropolitae Algeriensis, ceterorumque Episcoporum Algeriae, qui enixe poposcerunt ut Patrem Purpuratum mitteremus ad Personam Nostram ibi gerendam die beatificationis Martyrum Ecclesiae Algerianae, videlicet die VIII mensis Decembris. Ideo Nostrum Missum Extraordinarium hisce Litteris ad memoratam celebrationem te constituimus, Venerabilis Frater Noster, qui peritia emines atque veluti Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum inter proximos Nostros

cooperatores numeraris.

Debita quidem laude cumulabis horum beatorum Martyrum testificationem, qui veluti evangelica grana germinaverunt et huius terrae deserta pulcherrimis virtutum floribus ornaverunt. Liturgicis celebrationibus Nostro nomine praesidebis fidelesque adstantes hortaberis ad Christum omni fiducia assequendum iisque animum bonum facies, quia Ipse est Deus omnipotens suos comitans discipulos, sicut asserit in Evangelio: “Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. [...] Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi” (*Mt* 28,18.20). Fraternam demum Nostram salutationem transmittes aliarum religionum asseclis cunctisque bonae voluntatis hominibus.

Nos precibus hanc tuam sustinemus magni ponderis missionem, Venerabilis Frater Noster, dum te committimus potentibus intercessionibus Immaculae Virginis Mariae et novorum Beatorum qui in periculo, occisoribus ignoscentes, magis vitam aeternam amaverunt, et nunc gaudentes “habent quod amaverunt, uberius habebunt in resurrectione mortuorum” (S. Augustinus, *Sermo* 302,7). Denique Benedictionem Nostram Apostolicam imo ex corde tibi impertimus, dilectis quoque Pastoribus et Christifidelibus illic congregatis cunctisque hunc eventum participantibus amanter largiendam.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Decembris, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

FRANCISCUS